



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hortulus Biblico-Moralis Et Asceticus

Pappus von Tratzberg, Franz

Ulm, 1725

Fasciculus III. Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61252)

nitus ejusdem nos oblivisci vult : *Obliviscere populum tuum , & domum Patris tui.* Psal. 44. Ne videlicet sola temporalium rerum recordatio sequiori quodam affectu animum imbueret , & ulteriori talium cogitatu à celestibus abstraheret. Claudere oculos non magnæ difficultatis opus : at apertis oculis , & ad videndum benè dispositis non videre , & à visis objectis non moveri , non percelli , non abripi , vix non impossibile est. Hac de causa Samuelem electi Populi aliquando futurum Judicem , à paternis avulsum laribus , sacra inter Templi Solymæi claustra quasi in solitudine , mente à mundanis rebus penitus abstractâ , voluit etiamnum juvenem educari Deus. Illum pariter , quò inter natos mulierum non surrexit major , mundo velut extorrem , in deserti antris nutriri voluit , ne ullus voluptati ad hunc sibi dicatum puerum pateret accessus : quin imò Sanctissimam Matrem suam , trium annorum tunc temporis puellulam , in Templo voluit collocari , ut sic in arctissimo propugnaculo custodita , nec minimam Mundo sui copiam faceret.



FASCICULUS III.

Doctrinarum Moralium & Asceticarum.

Doctrina I.

Desumpta ex cap. 9. lib. Genes. in quo describitur Noëmi exitus ex Arca & Sacrificium, Dei Benedictio, ebrietas Noë &c. Omittitur 10. Caput, quia meris constat Nominibus propriis.

Considera I. **Q**UAM largam benedictionem Deus impertiatur illis *N.17.* hominibus , qui per religiosæ vitæ Sacrificia seque cum Noë divinis consecrant Servitiis : crescunt illi copiosa virtutum prole , & Virga timoris Dei dominantur in omnia animalia sensualium appetituum. *Videmur, ait Origenes Homil. 8. in Genes. quidem Deo negotiari , sed nobis cedunt negotiationis lucra. Videmur Deo offerre hostias, sed nobis quæ offerimus, redonantur : Deus enim nullus*

lius indiget, sed nos esse vult divites &c. gerit herile se instar terræ perquam frugiferæ, quæ impensum sibi laborem & injecta semina centuplici fructu refundit. Cur ergo ô Christiane! tam magnam operum tuorum partem non Deo, sed Mundi Vanitatibus Sacrificas? certus, quod per hoc in omni virtutum & meritorum genitura sis semper sterilis futurus, æternamque maledictionem benedictionis divinæ locô in caput tuum provocaturus? *Quantò magis mundum accedis, tantò longius à Deo recedis. Quantò magis es foris Sapiens, tantò magis stultus intus efficeris. Quantò magis extra lucra quæris, tantò magis intus perdis,* ait Bernard. Serm. de miser. hum. Utinam Isaiaæ Prophetæ monitis vel semel de die aurem præberes Christiane! qui jubet: oculos aperias, ut videant, omnem laborem tuum, quem rebus terrenis impendis, nil nisi merum pulverem colligere. Pulvis est fama nominis tui, pulvis thesaurorum tuorum Substantia, pulvis obtentæ Dignitates. *Expergiscimini, qui habitatis in pulvere.* Ecquid somno vanius reperiri potest, & tamen Somnia vocat Regius Vates omnia, quæ tantò studiò in rebus terrenis quæris: *Dormierunt Somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Psal. 75. O quam ridenda felicitas illa est, quæ in solius Phantasie ludibriis reposita consistit, quibus perditis & ipsa perditur? quales thesauri illi, qui non reperiuntur nisi clausis oculis, & apertis illis evanescent? excute ergo hunc somnum, tot ab annis à Mundo decepta anima, & ad laborem nata, labora pro thesauris in Cælo reponendis, ubi eos nec erugo nec tinea demolitur. Si pati oportet, patiaris pro Dei gloria, pro æterna Salute, pro Religionis tuæ Veritate, ut coronam ab illo accipias, apud quem nullus etiam pro minimo opere debitam perdit mercedem.

N. 18. *Confidera 2.* Quanta damna immineant homini à vino immoderatiùs hausto, dum primus Vinearum Inventor Noë risui & cachinnis proprii filii teste Scripturâ hujus capitis v. 23. illius causâ expositus est. S. Chrysostomus effectus ex ebrietate nasci solitos perpendens Homil. 27. in Acta Apostol. ait: *Quid ebrio turpius? ridiculus est famulis, ridiculus est hostibus, miserabilis apud amicos, omnium detestatione dignus, bestia est magis quam homo.* Quanta ignominia fuit Regi Nabuchodonosor, bovis instar in sylvis discurrere, mugire, & fœnum comedere? & hoc, quod ipsi immanis pœna fuit, homo ingenuus ultrò assumat per immoderatum vini usum? Indus quidam *Bisciolâ* teste lib. 10. 6, 13. Vino apprimè deditus, cum pœnitentiæ beneficiò ad frugem rediit.

rediisset, fassus est: vidisse se in quiete Juvenem candidum, qui cum prehensâ manu ad compotatorum cœtum duxerit, jussu intueri eorum vultus, quos primò poculò immutari, & quò plus haulissent, eò deteriores fieri, tandemque in dæmones turpissimâ metamorphosi transire conspexerit. Eant ebrii ad speculum, intueantur se, quid aliud quàm belluarum species in se ipsis notabunt? hinc fertur: Platonem, suos discipulos admonere solitum esse, ut se ebrios speculo objicerent: fore enim, ut visâ sui imagine tam deforme vitium caveant. Non dispari de causa Lacedæmones filiis temulentos proponebant servos, ut eorum scødò spectaculò correcti, à vinolentia abhorrerent. Disce ergo frænare appetitum, quem geris erga hunc liquorem.

Doctrina 2.

Desumpta ex cap. 11. lib. Genesis, in quo describitur structura turris babilonica, confusio edificantium.

Considera: **Q**uid tandem machinentur homines, ambitioni & vanæ N. 19.
gloriæ dediti? quomodo integris diebùs & noctibùs
desudent, ædificium honoris & magni nominis sibi erecturi. At ve-
rò ut illud vix erigere cœperint, experiri cogantur, quod superbis
Babilonicæ turris ædilibus obtigit: à morte enim, aut subitaneo ca-
su sinistrae sortis præventi, opus tantò labore erigi cœptum, aut jam
erectum relinquere debeant, expulsi in regionem damnationis æter-
næ, aut saltem miseræ temporalis. *Perdita vita homines ait Petrus Bles-*
ensis, ad Sac. Aul. se laboribus torquent, curis cruciant, expensis eviscerant.
Nonne figuram araneorum gerunt, quæ de suis visceribus telam texit, ut muscam
capiant vilissimam? quid est inanis gloria, quam venantur, nisi musca vilissima?
Rufinus cum Arcadiò Imperatore Regnum administrans: cum teste
Nicephorò lib. 13. c. 1. Hâc gloriâ non contentus, omnem move-
ret lapidem, ut solus imperaret, caput perdidit, antequam ei Diade-
ma imponeret: priusque abscissâ dexterâ per Urbem circa opificum
domos ambulare jussus, ambitionem suam pudendò elogiò fateri
debuit. Absolom stimulante fastu contra proprium Patrem assur-
gens, ut eum de Throno dejiceret regnaturus ipse, crinibus ex arbo-
re suspensus, & triplici lanceâ à Joab transfossus interiit. *O ambitio!*
ambitientium crux! quomodo omnes torques? exclamat S. Bernardus lib. 3.
C Confid.

Confid. Omnibus tamen places? nihil acrius cruciat, nihil molestius inquietat: nihil tamen apud miseros mortales celebrius. Dic quæso: an vel unam noctem quietam ducant? an vel unum bolum sine amaritudine gustent? quando audiunt promoveri alios, quasi tonitru tacti stupent, moerent, suam conqueruntur infelicitatem. En! quomodo abjectissima quævis servitia lubentî animô arripiant: quomodo adulentur mulierculis? aut infimæ sortis hominibus inserviant? quomodo magnos bonorum suorum thesauros profundant, sine ullo filialis observantiæ sensu parentes & propinquos amittant? scelera Principum laudent, subditorum virtutes taxent, reclamante conscientia. S. Augustinus refert lib. 10. de civit. Dei cap. 9. Romanos adeò militiæ deditos fuisse, ut ad insaniam usque sectandis castris inhiarent. Hujus autem phrenezeos causam exstitisse vanæ gloriæ & ampliandi Imperii appetitum, quem ceû stultitiam irridens exclamat: *Nonne in corporibus hominum satius est: modicam staturam cum sanitate habere, quàm ad molem aliquam giganteam perpetuis afflictionibus pervenire, nec cum perveneris requiescere: sed quantò grandioribus membris, tantò majoribus agitari malis.* Utique non felicitas sed miseria est, velle semper subesse miseriis, quia semper crescere desiderat ambitiosus, atque mediante continuò labore pacem sectatur, quam tamen assequitur nunquam. Et quænam tandem felicitas illa, cujus gratiâ tantî tolerantur labores? annon amentiam sapit, apicem fortunæ in eo ponere, quod plebs alicui caput denudet? facta laudet? Dominum vocet? ô quàm multi osculantur illius dexteram, quam tamen detruncatam cupiunt: quàm multi fortunatum apprecantur diem, qui animô ipsi horam invident: quàm multi longam augurantur vitam, qui nihil optatius haberent quàm ejus mortem. Cordialissimos multi se profitentur amicos, & inveteratam in pectore nutriunt inimicitiam. Quid juvat: Pallatium incolere, centum conclavia numerans, quando unô eodemque tempore non nisi unô frui potes? quid altus famæ proderit clamor, si dependet ab æmulis, qui illam sepelire student? quid proderunt aurô argentoque distinctæ vestes, si ex multò minùs arcent injurias temporum, quam ex vili crassaque materia confectæ? quid mensa, infinitis quasi ferculis onusta proderit, si venter tuus non est capax plurium, quàm capere possit ventriculus miserrimi cujusdam hominis? hæc legens Christiane, vide: an non ambitio tua quoque dominetur in anima? si pro gloria Dei, pro animarum Salute labo-

labo-

laborandum, ò quàm lentâ manu id negotii arripis? at quàm celerî pede volas, quàm sedulâ manu desudas, si pro obtinenda gloria & laude hominum, pro impetranda quadam dignitate agitur?

Dòctrina 3.

Desumpta ex capite 12. Genes. in quo describitur Abrahami evocatio, ejus Peregrinatio & Raptus Sara.

Considera: **Q**Uòd paribûs Verbîs, quibûs olîm Abrahamum è patria evocaverat Deus, quemlibet Christianum evocet è perversa hujus Mundi vita. *Egredere de terra tua, inquit, relinquendô si non corporis gressibûs; saltem mentis affectibus terrena & transitoria bona, & veni per viam piæ Vitæ ad cœlestem Canaan.* Inopiam, quam patieris in rebus temporalibus amore mei spretis, aut in pauperes liberaliter distributis, refundetur uberrimâ spiritualium gratiarum & cœlestium consolationum segete. Quid ad hæc & his similia vocanti Deo respondes? nõnne differas de die in diem tam gratiosis obsequi mandatis? non tantum Abrahami mirabili exemplô ad celerem sequelam, quàm Salomonicis minis instigatus: *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem: nam diutiùs tardante te, citò veniet ira ejus. Eccles. 5.* Hæc tremenda monita haud dubiè cordi ducens Zachæus, ad primam Vocantis Magistri vocem festinus descendit: didicit inde: divinam vocationem tam punctualem esse, ut in puncto perdat gratia, cui non in puncto morem geramus; & hinc exclamat S. Ephrem Serm. 1, de pœnitent. *Sentis, quod ostium tibi apertum sit? festina priusquam occludatur: ignoras, quò cœlestis medius ostium medicine sue clausurus sit, festina igitur, ut cureris.* Lazarus defunctus inter obscuras sepulchri tenebras jam fœtens, vix exceperat vocem Christi, clamantis Joan. 11. *Et statim prodiit, qui erat mortuus.* Eâ celeritate mandatum exsequitur, ut ligatis adhuc pedibûs & manibûs, capiteque obvelatò se vocanti præsentem sisteret. **Q**Uæso: cur non ante pedum ligamina abjecit? respondet S. Chrysologus, timuisse Lazarum, ne aliquantulum cunctandò, vocantis gratiæ foret injurius, & hinc in neglectæ observantiæ celeris pœnam iacere permetteretur in sepulchro, nunquam ampliùs resuscitandus. Mirandum planè, quòd Sapiente teste Eccles. 3. divina Providentia omnibus

bus rebus certum tempus assignârit : *Omnia tempus habent. Tempus est nascendi, tempus moriendi, tempus plantandi, tempus evellendi &c.* Nullum verò reperiatur tempus, quod determinatum sit divinæ vocationi, ut ei obsequamur? resolvit dubium S. Greg. Nazianz. dum asserit : ad opus tanti momenti, quod absque ulla expediendum morâ, nullum assignari posse tempus, ut nec per punctum trahatur mora, cum vocatione celebritate suâ ventos imitetur. Verba S. Doctoris sunt Orat. in Joan. *Tibi & belli & pacis tempus sit, atque omnis denique rei : at verò salutis tuæ negotium semper ac sollicitè age.* Quàm multos reperire est modernò tempore Christianos, quos inter & tu forsitan non postremus, qui vocati ad sanctiorem vitæ statum Hebræos imitantur, de quibus Sacra meminit Historia; eos Arcam fœderis deposuisse in Silo eâ mente & proposito, ut congruò tempore tantum thesaurum digniori locarent in sede. At quoniam id factum tempore? an fortè unò abinde annò, duobùs, aut tribùs? elapsi sunt scripturâ teste 3. Reg. 6. quadringenti octoginta anni, antequam manus admovebantur construendo Templi ædificio, adeoque jam in cineres confederant illi omnes, qui ante tot annos à Deo vocati fuerant, iussique, isthoc ædificare Templum. Et utinam non inter æternos ignes luant, tandiu dilatam, tandemque omninò neglectam vocationem Dei! utinam exemplò illorum tu sapias, gerendò quantociùs morem divinæ voci! obsequi si volueris, aderit cœlestis gratia, auxiliò in omnibus tibi futura, sicut olim auxiliò fuerat obedienti Abrahæ, quem etiam inter barbaras manus Scripturâ testante salvum & integrum conservavit; licèt summo vitæ periculo eum exposuerit raptæ uxoris Saræ pulchritudo.

Doctrina 4.

Desumpta ex cap. 13. lib. Genes. in quo describitur reditus Abrahæ ex Ægypto, separatio à Loth, seminis terræque illius facta Abrahæ promissio.

N. 21. Considera 1. **Q**uomodo non tantum in bonis gratiæ, sed etiam in bonis fortunæ crescant homines, qui vocanti Deo obsequentes, se totos ejus servitiis consecrant, prout Abraham suò docuit exemplò: hic enim, qui summâ rerum omnium inopiâ pressus, paulò ante Ægyptum petierat, jam omnî copiâ ditatus revertitur.
 Probant

Probant idipsum pariter hodiernâ etiamnum die tot Monasteria & Deo Sacratæ domus, quorum Summam in temporalibus bonis abundantiam miratur, & lividis oculis intueri cogitur Mundus. Lucæ 22. Cœlestis Magister discipulis suis quæstionem movet, asserens: *Quando misi vos sine sacco & pera & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis?* & ecce! in promptu auditur responsum; *nihil.* Quæso: quis etiam ditissimus hominum pari responsô hanc quæstionem solveret, fatendô, nihil sibi deesse? solis Dei servis tale responsum congruit, prout testatur David Psal. 22. suô, ipsorumque omnium ore loquens, qui totos se divino emancipant servitio. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascua me collocavit.* Hinc S. Fulgentius longam initurus navigationem, nullos fermè sumptus secum tulit, sed positâ in Deum fiduciâ præacta Davidis Verba Viatici locô assumpsit. Haud aliter S. Ignatius Societatis Jesu Fundator, ut videre est lib. 1. *ejus vita*; Jerosolymam petiturus, non nisi paucos panes ita volentibus nautis navi imposuit: Sed nondum conscensâ navî suæ diffidentia pœnitens factus, quæ attulerat in portu reliquit. Et verò si olim divina Providentia erga inconstantem & rebellem Populum in deserto paucorum fidelium intuitu se ad eò beneficam & liberalem exhibuit, ut quadraginta annorum spatiô ei nihil deesset de rebus, ad victum & amictum necessariis: quàm liberalem & beneficam se geret erga fideles & morigeros? non miror itaque: quòd Petrus in monte Thabor nec sibi, nec sociis suis voluerit à Christo ædificari Tabernacula; certus enim de liberalitate Christi, in servos sibi fideles semper exerceri solita, non dubitaverat, fore: ut motu proprio de talibus habitaculis eis prospiceret. O quàm dispari modo Principes & Magnates Mundi hujus suorum servorum fidelitatem remunerantur, quibus sanè haud aliter evenire solet, quàm canibus venaticis, qui postquam perdicem aut leporem cœperint, id mercedis accipiunt, quòd prædam suis in dentibus hærentem ociùs dimittere cogantur. Sic Vespasianus Imperator, ut refert *Sueton. lib. 3.* rapacissimos quosque ministros promovebat ad Quæsturas, quæis ceù spongiis utebatur: has, ut primò implèsset, impletas celerius exprimebat. Hæc perpendens Christiane, vide: quid agas: tantô labore & industria serviens Mundo ejusque Magnatibus, relictô Dei servitiô?

Considera 2. Quid concordia foveandæ causâ fecerit Abraham: *N. 22.* erat is Patruus ac Superior Loth; & hinc jure meritô ipsi debebat

tur foecundior, & pascendis gregibus aptior terra, fovendæ tamen, ut dixi, concordiaë causâ, hæc socio inferiori & subdito cessit: Sed & inde commovit Deum ad novam benedictionem, ut discerent posterî: *Nihil gratius Deo esse concordiaë fratrum.* Eccles. 25. & econtra detestabilius & divinò nil dignius odio esse discordiaë, quæ meritò Hieronymò teste in cap. 5. ad Galat. *Septimum locum inter carnis opera continet, quòdam quasi Sacramentò & eminenti inter vitia numerò collocata.* Optimè discordes comparabis Abrahami infelici Sacrificio, quod ut vix divisum est, rapacibus illicò dedit copiam volucris ad se devorandum: nam haud secus illi præbent sua corda, rapienda Dæmonibus, quod confirmat Oseas Propheta cap. 10. dicens: *Divisum est cor eorum, nunc interierunt.* Thyreo lapidi similes, qui integer & indivisus natat in aquis, divisus verò statim mergitur; hanc veritatem à Morione suo didicit Fridericus Dux Saxonix, ut memorat Causinus lib. 3. Symb. Cùm enim fratres inter se agerent de dividenda inter se Regione, vestem Principis indutus Morio, in confessum Principum devenit, & Fridericum interrogans: num factum placeret? laudante illum Duce, in cubiculum se contulit, & arreptâ forvice vestem dissecuit: mox alterâ parte amictus, se denuò videndum præbuit Duci, sciscitatus iterum: an placeat? Princeps indignatus temeritati: virgîs puniendum hoc esse facinus minitabatur. At Morio verbis talibûs necquidquam territus, reponit: *Et te Virgîs cadam, qui Regionem tuam pulchriorem hæc veste dilacerare conaris.* Quid enim Regnum divisum aliud expectat, quàm extremam desolationem? hoc ipsum damnò suò, sanguineis lacrymis desendò, experta est Germania nostra, quando tot Hæreses admittendò, tot pariter Shismata & Scissuras admisit, ex quibus ortæ sunt tot hominum strages, tot Urbium ruinaë, tot Provinciaram devastationes, tot animarum interitus.



FASCI-